Q. F. F. F. S.

DISSERTATIO
DE
DIFFIDATIONIBUS,

Von
Befehdungen oder Abſägen ꝛc.

Quam

DIVINO NUMINE ADSPIRANTE ET PRÆSIDENTE
CONSENSU ET AUTHORITATE

Magnifici, Nobiliſſimi, Ampliſſimiq;
JCTORUM *Ordinis Almæ* ALTDORFFINÆ

In vicem Diſputationis publicæ Inauguralis

PRO SUMMIS IN UTROQ; JURE CONSEQUENDIS
HONORIBUS, DIGNITATIBUS PRIVILEGIIS
DOCTORALIBUS

Placidæ Eruditorum Cenſuræ ſubjicit
Ad diem XXVII. *Maij*

CHRISTOPHORUS Peller/
NORIBERGENSIS.

Charactere GEORGI HAGEN, Univerſitatis
Typographi.
ANNO M. DC. LVIII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Seneca 2. de Jra 31.

Ne fas eſt nocere Patriæ: Ergo Civi quoq;. Nam hic Pars Patriæ eſt. Sanctæ Partes ſunt, ſi univerſum venerabile eſt. Ergo & homo homini. Nam hic in majori Urbe Civis eſt. Quod ſi nocere velint manus pedibus? Manibus oculi? Ut omnia inter ſe membra conſentiunt, quia ſingula ſervare totius intereſt: Ita homines ſingulis parcant; quia ad cœtum geniti ſumus. Salva autem eſſe Societas, niſi amore & cuſtodia partium non poteſt.

AD

Clariſſimum Candidatum

DN. CHRISTOPHORUM PELLERUM

Amicum Percharum.

ILluſtris geminis tollit honoribus
PELLEROS celebres Norica Civitas,
Laude omnes pariter non minimâ tument.
Majorum memor & Tu removerier
A vulgô ſatagis, *Juſtitiæ decus*
MI PELLERE, Patres, quàm benè, nobiles
Non ſpurcare ſuos! ſic tua nomina
Zelô perge piô oſtendere ſeculo,
(Virtuti ſolidæ & dotibus ingenî
Hinc atq; hinc patula eſt latior area)
Sera ut poſteritas poſt tua funera
Exultans titulos enumeret tuos.

deproper.

Erneſtus Gregel. D. &
Juris publici P. P.

AD THEMIDEM.

JURISPERITIS *nuper idoneus*
BIS *militavi non ſine gloriâ;* INAU-

INAUGURALES QUÆSTIONES
Nunc paries, VICE TERNA, *habebit,*
Edicta, Leges, Scriptaque publica
Cuſtodiens: hic, hic rationibus
Pugnate mecum, tendite arcus
Viribus oppoſitis minaces.
O, quæ colentes JUSTITIAM *improbo*
Labore, dignis, DIVA, *beas bonis,*
GEMMAM, *peractis his,* TIARAM,
OSCULA, *da,* GEMINOSQUE LIBROS!

Imitatus Odam Horatianam 26. lib. 3.
l. mq. f.
HIERONYMUS Scheurl.

A Teneris adeò PELLERE, aſueſcere multum
eſſe, Tui ingenii comprobat iſte labor.
Quid ſolidum crepet, & quid non, dignoſcere cautum
TE *Themis* â pueris fovit amica ſinu.
Hinc de TE *Patriæ* ſpes ſurgit opima & *Amicis*:
& decus & fructum mox quibus ipſe feres.
Ita
Clariſſimo D N Candidato Fautori & Amico
ſuo certiſſimo de exantlatis laboribus academicis gratulatur
Carolus Gottlieb Fürer von Haimendorff auff Wolckersdorff.

FINIS.

JESU ADSIS!

§ I.

ALexander qui à rerum geſtarum Magnitudine Magni nomen reportavit, cum audierat in Urbe Gordien, Jovis in templo jugum Gordii poſitum; cujus nexum ſi quis ſolviſſet, eum totâ Aſiâ regnaturum, antiqua Oracula ceciniſſe; mirùm quanta cupiditate flagravit, in Jus ditionemq; ſuam redigendi hanc Urbem, non tam propter prædam, quam ut jugum illud Gordii plauſtri videret, diſſolveret, oraculiq; hujus veritatem in ſe completam vel huic Univerſo demonſtraret. Igitur Alexander captâ Urbe, cum in templum Jovis veniſſet, jugum plauſtri requiſivit; quo exhibito, cum Capita loramentorum intra nodos abſcondita reperire non poſſet, violentius oraculo uſus, gladio loramenta cœdit, atq; ita reſolutis nexibus, latentia in nodis Capita invenit. referente id Juſtino *Lib. XI. c. 7.*

II.

Hoc exemplo Apologi inſtar omnes, quibus DEUS ſummum rerum arbitrium dedit, docentur, ſi inter ſe impliciti quidam ſuboriantur Controverſiarum nexus non ſtatim ad arma proruendum, ſed prius alia omnia experiunda; More majorum, hinc inde prius legatos mittendos ad res repetendas, aut de injuriâ ſibi illata conquerendum;

& ſi nec hæc quicquam cõducere velint, Enſe tandem reſecandum quod conſilio & pacificis obtineri haud poterat mediis.

III.

Privatis ſua conſtant Judicia, in quibus cauſſæ controverſæ inter Actorem & Reum corã judice diſcutiũtur *c. forus. 10. ex. de V.S.* & quod ipſis debetur perſequũtur *pr. Inſt. de Act.* Actionibusq; experiuntur, ſi quas ſe habere putant petitiones *l. 13. pr. ff. quod metus cauſſa.* Illorum, qui ſuperiorem ſupra ſe non agnoſcunt quam DEUM & nudatũ vaginâ enſem, longè alia conditio eſt. Inter illos enim ſi quæ emergant controverſiæ, non actionibus locus, judiciis plerumq; cruentis res agi ſolet: in quibus actio bellum eſt; Judex Gladius; Probatio Victoria; Sententia deniq; & rei judicatæ Executio Mors, aut Servitus. Aſt quàm verſabilis & incerta Martis alea! Hæc vel ſola, ſi non aliud, ipſorum animis, ſi illam ad rationis trutinam perpenderẽt, inſinuare poſſet: Non temerè ad bella prorumpendum. Omne enim bellum facilè ſumitur, cæterum acerrumè deſinit, nec in ejusdem poteſtate initium & finis, ut optimè Salluſtius. Accedit quod Armis ſemel ſumtis nulla jam divini, nulla humani Juris ſuperſit reverentia, planè quaſi uno Edicto ad omnia ſcelera emiſſo furore. Quemadmodum caloris vi, non modo ſicca, verum etiam quæ in propinquo ſunt, humida abſumuntur: Ita bella, etiam quæ juſtâ ex cauſsâ ſuſcipiuntur nefanda quæq; opera, cædes, ſtupra, ſacrilegia, ſecum trahunt, Nemo Martem ita in poteſtate habet, ut nuſquam exorbitet.

IV.

Hinc Romani, inquit Varro *lib. 2. de Vita populi Rom.* bella tardè & nullâ licentiâ ſuſcipiebant, & quod nullum bellum, niſi pium putabant geri oportere, priusquam indicerent

cerent bellum iis à quibus injurias factas ſciebant, Feciales legatos res repetitum mittebant quatuor, qui ſi poſtulata impetraſſent, fœdus cum iis feriebant: ſin minus, re deliberata, bellum indicebant.

V.

Quod quâ ratione factum ſit, prolixè ex Dionyſii Halicarnaſſæi *lib. 2.* Livii *lib. 1.* & Plutarcho, docet omnis Rom. antiquitatis ſagaciſſimus indagator Roſinus *Antiq. Rom. lib. 3. c. 1.* & Briſſonius de Formul. *lib. 4. p. m. 342. ſeq.* Alexander ab Alex. *Genial. dier. lib. 5. c. 1.* Brevem, quamquam paulo ab aliis diverſam formulam nobis exhibet A Gellius *Noct. Attic. lib. 16. cap. 4. ex Cincii de re militari lib. 3.* Cincius, *ait*, Fecialem Populi Rom. bellum indicentem hoſtibus, telumq; in agrum eorum jacientem his verbis uti ſcripſit: QUOD. POPULUS. HERMUNDULUS. HOMINES. QUE. POPULI. HERMUNDULI. ADVERSUS. POPULUM. ROMANUM. BELLUM. FECERUNT. DELIQUERUNT. QUE. QUOD. QUE. POPULUS. ROMANUS. CUM. POPULO. HERMUNDULO. HOMINIBUS. Q. HERMUNDULIS. BELLUM. IUSSIT. OB. EAM. REM. EGO. POPULUS. Q. ROMANUS. POPULO. HERMUNDULO. HOMINIBUS. QUE. HERMUNDULIS. BELLUM. INDICO. FACIO. Q.

VI.

Hinc frequenter legitur in veterum auctorum ſcriptis JUSTI PIIQUE BELLI Epitheton. Ut apud Livium *lib. 3. lib. 9. lib. 35. lib. 39. lib. 42.* Ciceronem *lib. 2. de Invent.* Suetonium *in Galba c. 10.* Q. Curtium *lib. 5.* Florum *lib. 2.* alios. Tanta nimirum virtus id temporis in viris iſtis conſpiciebatur, tantoq; animo Res ab iſtis publica adminiſtrabatur: quod ævo noſtro hoſtem incautum opprimere in laude reputatur, id tum temporis ignominiæ fraudisq; loco haberetur. Liceat huc trahere quod de Florentinis

 poſt

poſt ſedatum Guelphorum & Gibellinorum diſſidium, Reip. ſuæ formam inſtaurantibus, & campanam Martinellam vocatam inſtituentibus, quæ per longum temporis ſpatium antequam in hoſtem iretur pulſanda eſſet, acutus ab Etruria Doctor, *Hiſt. Florent. lib. 2* pronunciat.

V I I.

Quinimo hoc non ſolum publicè obſervabatur, ſed etiam inimicitiis ex offenſione aliquâ conceptis, cum iis, quibus cum vetus intercedebat Uſus, vel Amicitia contracta erat, ſolebant Romani diſertis & apertis verbis amicitiam renunciare: & inimicitias profiteri. Aliquam plura hujus renunciationis exempla ex probatiſſimis Scriptoribus congeſſerunt, Briſſonius *de Formul. lib. 8. p. 742.* Camerarius *horar. ſubciſiv. cent. 1. cap. 91.* Lipſ. *in comm. ad Tac. 2. An. 70. in Excurſ. lit. L.*

V I I I.

Et iſtis ex ritibus originem traxiſſe videtur ſuam DIFFIDATIO, quod vocabulum barbara poſterior ætas uſurpavit pro eo, quod eſt bellum indico, hoſtem declaro. Hoc in ſignificatu vox Diffidationis legitur in Imp. Caroli IV. Aureæ Bullæ capitulo decimo ſeptimo, tam in rubro, quam nigro; Et ante illum in Conſtit. Friderici II. Imp. *poſt fin. feudd. de Statutis & conſuetud. contra libertat. Eccleſiæ editis* §. *Gazaros 5. ibi*: Diffidamus atq; bannimus. Uſurpatur etiam hæc vox à Petro de Vineis, Friderici II. Imp. Cancellario & aſſertore Imperialis dignitatis contra Pontificii anathematis fulmen, graviſſimo *Epiſt. 85. lib. 3. ibi:* Diffides eos tanquam inimicos noſtros & Imperii. Quod ctis locis, ut & noſtri ſeculi Dd. eſt diffidare, id Fridericus I. Imp. *in Conſtit. de Incendiariis & Pacis violatoribus Anno M. C. LXXXVII. 3. Calend. Jan. Nurenbergæ promulgatâ libb. feudd. ſubjunctâ in* §. *ſancimus* etiam, vocat diffiduciare, &

hinc

hinc diffiduciationem Guido Papa in ſuis deciſion. Diffidamentum. *deciſ. 191.* Latinius forſan dici poſſet Clarigatio. Armorum deteſtatio. Eſt autem Deteſtatio, definiente JCTo *in l. 40. l. 238.* §. *1. ff. de V. S.*, denunciatio facta cum teſtatione, uti habetur d. loc. Et Authore Feſto lib 13. dicebatur.: Cum DEUS teſtis in deteriorem partem vocabatur.

IX.

Patriâ noſtrâ linguâ dicitur, Befehden/ abſagen / abklagen/ widerklagen-ſagen/ verwahren / abſchlagen/ Feind: und Fehd Brieff zuſchicken. Ubi obiter de orthographia vocis tenendum, quod in Imperii Conſtitutionibus aliquando legatur Vähd/ Reformation Käyſer Friderichs *III.* zu Franckfurth. *de Anno 1442. tit.* Wer in offenen Vähden gefreyt ſeyn ſoll. *p. m. 19.* der Königlichen Landfried zu Wormbs *de Anno. 1495. tit.* Auffhebung aller Vähde. *pag. 27.* P. H. O. Caroli V. *art. 129. pag. 26.* Aliquando, rarius tamen ut hodiè ſolet Fehde/ quod magis quadrat ad antiquum Feed/ de quo Hottomannus, *in verbb. Feudall. ſub Feida*; ubi docet, hôc nomine, modo bellum, modo Capitales Inimicitias ſignificari. Et nos quædam, de hac voce *infra* §. *11.* in medium adferemus.

X.

Antequam verò ad definitionem Diffidationis accedamus, paucis pro inſtituti noſtri ratione, unde nomen illud deſcendat, inveſtigare haud abs re erit. Hujus autem detortæ vocis barbariem ſeculi ſui cunabula prodere cuivis facilè patet. Niſi ſi quis velit deducere à fido, & particula dis, cujus littera ultima ante f. poſita ſæpe mutatur in f. docentibus Grammaticis; Quæ particula aliquando pro *malè* accipitur ut in verbo diſpereo, pro malè pereo. Interdum etiam negativè, ut ita diffidatio nihil aliud ſignificet,

quam non fidum habere ſed perfidum, quod nimis longè petitum. Alii malunt à peregrinis petere vocis originem, deducendo illam, à verbo antiquiſſimo & adhuc Gallis uſitatâ voce *Difier ou defier*. quod ſignificat provocare. Hinc *Je vous defie*, Ego te provoco. *Envoyer defier*. Dimicationem denunciare alicui. Sed nec hæc derivatio ſatis commoda videtur cum *defier* provocare Nomen generale ſit & minus aliquid ſignificet quam horrendum illud Crimen, ſpeciali diffidationis nomine inſignitum, aut denunciationem quæ legitima ut præcedat bella ſolenne eſt. Cum utiq; Provocatio nec ſit indictio belli, aut omnigenæ calamitatis inferendæ denunciatio, ſed plerumq: ad manus conferendas invitatio, quo læſo vel factò vel verbis, de injuria illatâ à lędente ſatis fiat, aliunde petenda eſt ejusdem derivatio.

X I.

Utroq; igitur pollice digni videntur, qui, cum Buxdorffio *diſſert ad c. 17. A. B.* Diffidationem derivant, à veteri vocabulo Faida vel Feida, quæ Francis erat ſimultas aperta, qua unus aliquis uni vel pluribus bellum denunciat. Hoc in ſignificatu hæc vox occurrit ſæpè in Codice LL antiquarum à Lindenbrogio edito, ut *LL. Saxon. Tit. 2. §. 5. Tit, 3. §. 4. Tit. 12. §. 3. In LL. Longobardorum lib. 1. Tit. 7. L. 1, 19* Hinc Orvede / ſive Urphede / quæ apud noſtrates uſurpatur pro teſtatione ſive Juramento quo quis inimicitiis vel ultionibus renunciat. Hinc Homo Faidoſus ſive Faydoſus pro diffidato ſæpius dicitur in ſupra citat LL. antiq. Cod. v. g. *in capitul. ad L. Salicam. c. 2. §. 2. & in LL. Longobardorum lib. 1. Tit 37. n. 1. Aliisve in locis.*

X I I.

Quamvis ex præmiſſis haud difficulter pateat, quid Diffidationis vox ſignificet, ne tamẽ partem (quæ cujusque rei potiſſima) omittamus, ſicq; contra Philoſophorum

Præ-

Præcepta, per ignota progrediamur, Diffidationem definimus, quod ſit & dicatur: Denunciatio animi hoſtilis, qua quis alii ſignificat, ſe eum armis, igne, ſpoliis, rapinis perſequuturum. Wann einer einem abſaget / oder ihme feindſchafft zuſchreibet / oder Brandzeichen ſtecket / und ihme mit Raub / Brand / Mordt / zubeſchädigen betrauet / und befehdet / ſolches iſt propriè für fehden zu achten / ſcribit Joachim. à Beuſt. *ad l. 31. ff. de Jurejur. n. 1179. verſ. quia vero eſt differentia. p. m 738.* Cumq; monente Cajo *in l. 236. de V. S.* ambigua diſtinguenda ſint, commodiſſimè illa dividi poſſe videtur in *Approbatam & Reprobatam*. De utraq; pro ingenii viribus noſtra inſtituenda erit Diſſertatio. Definitio.

XIII.

Diſtinctionem in *Puram* & *Conditionalem*, quæ fit in aliquem eventum, ut ſi diffidatus non præſtiterit, quod petitur ab eo; pro nulla agnoſcimus. Cum & is, qui ſub „ conditione alicui extremas calamitates minatur propriè „ diffidator dicatur, & præſentiſſimum incutiat terrorem, „ nec Executio in crimine diffidationis requiratur, ſed ſola denunciatio hoſtilis, accedente aliquo facto, emiſſione literarum vel appenſione ſigni inflammatorii. Imò facilè fraus adinveniretur legi, ſi conditionales licitæ eſſent Diffidationes, cum non ſolum plerumq; hoc modo fiant, ſed & quilibet ſeſe adjecta conditione ultori ferro ſubducere poſſet. Huc facit R. A. zu Augſpurg *de Anno* 1555. 6. Wir ſetzen / ordnen / ſtatuiren &c. Ibi expreſsè *p. m.* 455. Unangeſehen / ob ſie ſonſt nicht anders mit der Thatt gehandelt hetten. & P. H. O. Caroli. V. *art. 128. 129.* eadem repetuntur. vide etjam ſi lubet *art. 176. 178. ejusdem* P. H. O. Bocerum *in tract. de Diffidation. Cap. 2. n. 14. 15. ſeq.* Dn. Carpzovium *in Praxi Crimin. p. 1. q. 37. n. 52. ſeq. & in Jurisprud. forens. Part. IV. Conſt. 15. def. 1.*

Appro-

X I V.

Approbata illa eſt, quæ Conſenſu Juris Divini. *Num. 21. verſ. 21. Deut. 20. verſ. 10. ſeqq. Jud. 11. verſ. 19.* Civilis Rom. *l. 118. de V. S. l. 24. de Capt. & poſtlim. &c.* Canonici *c. 1. & 2. in fin. 23. quæſt. 2.* Et Communis Gentium Juris, Bellum juſta ex cauſa, juſtis à Perſonis gerendum præcedere ſolet. Hinc non incommoda vox Scythici Legati ad Alexandrum M. qui plerumq; indictâ cauſâ, bello Gentes petebat: Tu qui Te gloriaris ad latrones perſequendos venire, omnium gentium, quas adiiſti, latro es. uti refert Ranzovius *lib. 1. de bello. c. 5. Curtius lib. 7. c. 8.*

X V.

Perſonæ quæ juſtè indicere bellum poſſunt, ſunt illæ, qui ſuperiorem non recognoſcunt, aut quibus id â ſummâ poteſtate conceſſum. Imperativus enim, ut eſt in proverbio, cùm primâ perſonâ careat, ſibi legem dicere haud poteſt *arg. l. pen. ff. de arbitr.* Igitur ordine literarum & ordine rei inverſo, ipſi permittitur Vis, cum obtineri nequeat Jus Et hoc jus tam arctè dicitur cohærere Majeſtati ut nullo modo ab ea divelli queat, ab Arniſæo *de Juribus Majeſt. lib. 2. c. 5. n. 10.* ubi ampliſſimum conſentientium adducit catalogum. Hinc pro varietate mutationum in Rep. Rom Jus illud nunc apud Reges, nunc apud Conſules, interdum etiam apud Dictatorem, nunc apud Populum reſidebat ut ex Hiſtoriarum monumentis colligere poſſumus; uſq; dum tandem, Julius Cæſar fundamenta Quartæ & ultimæ Monarchiæ jaciens, ſibi jus denunciandi belli reſervare inciperet latâ lege Majeſtatis. Hinc legis Juliæ Majeſtatis reus ille reputatur qui arma ſine Principis juſſu ſumit *l. 3. ff ad L. Jul. Majeſt.* Quod magis magiſq; â ſubſequentibus Principibus dilatatum, cum majus ſibi quotidie pararent in ſubjectos Imperium, ab Auguſti inde temporibus, in

quem

quê lege Regiâ, quæ de Imperio ejus lata eſt Populus, omne jus poteſtateq; privativè tranſtulit, ut pluribus hoc oſtendit Magnificus Dn. Ludvvell. Præceptor meus, nũquã ſine honoris cultu nominandus *in Comm. J. ad §. 6 de J. N. G. & C. In Exercit. Diſp. 1. th. 13. lit. C. & In Notis ad Weſenb. π. ff. ad tit. de Conſtit. Princ.* Hinc legimus in Codice *l. ut arm. uſus inſc. Principe interd. ſit. lib. 11.* à Valentin. & Valente promulgatam circa Ann. Chriſti juxta vulgarem computationem 364. veram 366. Quâ omnibus & ſingulis armorum movendorum facultas adimitur; Et illam â Juſtiniano Conſtitutionem, de armis & Fabricenſibus *Nov. 85. cum ſimilibus.* Facit etiam huc *Nov. 105. in pr.* Quas poſtea imitatus Frideric. II. Imp. *in Conſtit. Sicul. lib. 1. Tit. 9. tit. 14. &* Carolus M. *ad L. Salicam Tit. 3. §. 5. cap. 3.* Cum aliis. quæ, LL. videri poſſunt in ſupra citat. Codice LL. Antiquarum à Lindenbrogio collectarum.

XVI.

At hodiè immutatâ nonnihil Reip. facie ſaluberrimo ſanè Conſilio conſtitutum eſt, ut Electo Romanorum Regi in Imperatorem promovendo inter alia Capitulationis (ut vocant) ſuæ capita proponatur & illud, quod non velit bellum movere ſive in Imperio, ſive extra illud, niſi hoc fiat cum conſenſu ſtatuum, aut ad minimum, ſex Electorum Imperii, prout expreſſe in hæc verba juravit Carolus V. *in Capitul. ſua art. 11.* Ferdinandus I. *in Capitul. art. 10.* Maximilianus II. *art. 7.* Rudolphus II. *art. 10.* Matthias *art. 11.* Ferdinandus II. *art. 11.* Ferdinandus III. *art. 11.* Cum verò ſecurius & decentius viſum fuiſſet Imperatori & Imperio, ſi ad normam antiquitus recepti moris, quo ſcil. res communibus ſuffragiis gerebatur, ſeſe componerent, perpendendo ex belli alea ruinam totius Imperii ſequi poſſe,

bellum communibus omnium ſtatuum impenſis gerendum, ac quod omnes tangit, ab omnibus in Rep. libera debere approbari, niſi omnes paucis eam Curam demandaverint, cautum fuit in pacificatione Oſnabrugis facta *Ann. 1648.* inter Imperium & Regnum Sueciæ, ne bellum decernatur, niſi de Comitiali liberoq; omnium Jmperii Statuum ſuffragio & Conſenſu, uti habetur *in art. 8.* §. *gaudeant*, prout annotavit Excellentiſſ. Dn. Limnæus in Not. ad Capit. Caroli V. *art. 11. p. m. 189.* Et in Capitulatione Ferdinando IV. Rom. electo & coronato Regi præſcriptâ *art. 11.* illud quod de VII. Electorum conſenſu dictum, ad ſummum neceſſitatis caſum reſtringitur: *ibi*: Ohne vorwiſſen/ Rath / und Bewilligung der Reichs-Ständen / oder zum wenigſten der Sieben Churfürſten; in Sachen / da in den verzug Gefahr ſtünde / bis man zu einer Reichsverſamlung / ſo wir ſolchen falß / zum forderlichſten abzuſchreiben gelangen lan. Nam à tempore inde Oſſnabrugenſis pacificationis, Imperatore cum Imperio conſentiente publicæ tranquillitatis cauſſa viguit Electoratus Octavus in domo Palatina Rhenana §. 4. *Inſtrum. Pacis.*

XVII.

Quod tamen accipiendum de bello, ut loquuntur offenſivo. Nam in defenſivo, uti nec diffidatio neceſſaria ita nec Imperatori, quod privato cuique jure naturæ per *l. 3. ff. de J. & J.* conceſſum, adimendum, imò ipſi conceſſum eſt, ſine ulteriori & novo Electorum, vel Statuum Imperii conſenſu, ſeſe opponere hoſti, etiam extraneo auxilio uti, ſic ut expreſſe hoc limitatũ legitur *in Capitul.* Maximil. II. *d. art. 7.* Rudolph. II. *art. 11. alibi.* Sed de his omnibus fusè Dn. Limnæus ad Capit. Caroli V. *art. 11. verſ.* Ohne vorwiſſen/ Rath und Bewilligung der Reichs-Stände, &c.

Prin-

XVIII.

Principes & alii Romano-Germanici Imperij Status quin obſervatâ in Conſtitutionibus Imperij præſcriptâ formâ. (Ex gr. in R. A. zu Augſpurg *de An. 1555.* R. A. zu Speier *de Anno 1570.* R. A. zu Regenſpurg *de Anno 1576.* R. A. zu Augſpurg *de Anno 1582.* R. A. zu Regenſpurg *de Anno 1584.* & *Anno 1589.*) bellum indicere queant nullus dubito. Imprimis propter ſubitum aliquod periculum, aut ex magnâ & ſatis neceſſariâ cauſsâ. Tunc enim melius videtur intacta ſua ſervare jura & in tempore occurrere, quam poſt vulneratam cauſſam remedium quærere, ut eleganter dicitur *in l. ult. C. in quib. cauſ. in integr. reſtit.* Plura qui circa hanc rem deſiderat adeat Dn. Limnæ. in J. P. *lib. IV. c. 8. n. 247.* Arumæum *in diſcurſ. de J. P. vol. 11.23 th 2.* Dn. Reinking. de Regim. Secul. S. Imp. Rom. *lib 2. cl. 3. cap. 1. &c.* Ita, referente Sleidano *17. Comm.* Proteſtantes Donaverdâ miſſis literis, Auguſti die undecima Anno 1546. ad Carolum V. Imp. quo ſint in ipſum animo, juxta belli morem atq; legem, denunciant. Ubi in fine Epiſtolæ: Hoc Ergo profitemur palam & more ſolenni, ſic animo parati, ut tuum hoc atq; ſociorum bellum à nobis depellere cogitemus. Etenim in cauſſa tam pia atq; honeſta nullum debemus recuſare periculum. Sic eodem annotante Sleidano *lib. 25. circa Anno 1553.* Mauricius Saxo, Ferdinandi Regis, ſuo, & Sociorum nomine Alberto Marchioni Brandenburgico bellum per litteras denunciat, & eo ipſo omnis calamitatis, ex hoc bello orituræ, culpam in Albertum qui nullam ad Conditionem æquam accedere voluit transferendam teſtificatur, uti verba ejusdem Epiſtolæ ſonant. Has diffidationes plerumque per Nobilem Juvenem cum Tibicine expediri ſolitas fuiſſe ex citat Sleidani locis colligere licet. Eodem porrò cum Imperij Statibus Jure frui, junctos ali-

quo, ab Imperio noſtro approbato, fœdere (cum ex iisdem communiter ſint conflata hujusmodi fœdera) vel ſolum, ubiq; decantatum, Suevicum fœdus der Schwäbiſche Bund/ judicio eſſe poterit. Ut alia fœdera ſilentij hîc involucro involvam.

X I X.

De exteris maximâ ex parte Regibus, quin pleniſſimam bella indicendi habeant facultatem, minus credo ambigitur. Videtur enim in ipſis rerum obtinere argumentis, quod olim Maximilianus I. Jmp., in ore frequenter dicitur habuiſſe: Regem Hiſpaniæ eſſe Regem Hominum, Galliæ eſſe Regem (abſit invidia verbo) Aſinorũ *Ou des beſtes, à cauſe de la grande facilite du peuple Francois, qui ſe laiſſe emmener par les nez comme le beſtes.* Guil. Parad. *de l' Hiſtoire de Lyon. p. 656*) Britannum eſſe Regem Diabolorũ, ſe verò ſolum eſſe Regẽ Regũ. Manlius *loc. comm. loco de Magiſtr. p. 585.* Gundent enim pleriq; omnimodâ in Regna ſubditosq; ſuos poteſtate & plerumq; in hæredes transmisſibili, quod multis demonſtrari poſſet, niſi pergendum eſſet ad alia. Neq; magnoperè controverti puto de Jure liberarum in Europa Rerumpubl. ſibi ſufficienti *Helveticâ*, Liberrimâ *Venetâ*, utpote nulli unquam poteſtati quam ſuæ ſubjectâ; Magnificâ *Confœderatâ Belgicâ*, quæ dudum ab ipſo Hiſpaniarum Rege, antequam ad inducias (*de quibus elegantiſſimum & verè Politicum conſcripſit tractatum Baudius*) accederetur, pro liberâ declaratâ, talisq; ab omnibus hactenus Orbis Principibus habitâ. Et ut generaliter dixerim quo Jure denegari queat belli indicendi poteſtas, uni ex illis quibus Deus ſummum rerum arbitrium dedit, cæteris obſequii gloriâ relictâ, *ut Tac. 6. An. 8. 5.* loquitur, ingenuè fateor me latet.

Major

X X.

Major circa Papæ Majeſtetem & per conſequens hoc, (ut cum Feudiſtis loquar) Regale agitatur controverſia, inter plurimos haud imi ſubſellii JCtos & Politicos. Qui pleriq; dum ipſi denegant in Imperium noſtrum & cæteros Principes Majeſtatem, eo prolabuntur, ut omnem omninò ei detractum eant poteſtatem. Moti tũ Texx. nonnullis Juris, tum querelis nonnullorum de Impotentiâ Papæ. Textus quibus moventur ſunt illi quibus non ſolum Clericis interdictum cauſis ſecularibus *tot. tit. extr. Ne Cler. vel Monach. ſecul. Negot. ſe immiſceant. l. 41. C. de Epiſc. & Cleric. c. quoniam diſt. 10* Sed etiam in ſpecie militaribus. *c. clericum. 5. diſt. 50. c. nimium. c. cum à Judæis. c. Non Pila. c. Reprehenſibile. c. ſi in monte. 23. q. 8. c. in audientia extr. de ſent. Excomm. cum ſimilibb. 2. Feud. 21.* Inter querelas eminet illa Ludovici Imperatoris contra Johannem XXII. quam refert Aventinus *Annal lib. 2.* Plures qui legere deſiderat adeat Nobiliſſimum Pragmaticum Joh. Petrum Ferrarienſem, imprimis *in form. Reſponſ. rei conventi p. m. 215. in Edit. Genev. & ibid. pag. 246.* Notabilis imprimis eſt locus ejusdem *in form. libell in act. Confeſſor. pro ſervit. ſuper verb. plenam & omnimodam Jurisdictionem p. m. 596.* Sed ſi Euphormioni hac luce iterum frui liceret, profectò, credo, indignaretur quod non cum ſanctiſſimâ Lege Honeſtè vivere, alterum non lædere, jus ſuum cuiq; tribuere, quam nunc prorſus moribus hominum ſublatum exiſtimat, *part. 1. Satyrici ſui*, hæc inter antiquatas Leges referretur. Optandum equidem eſſet Clerici ſecum perpenderent quod in *Nov. 6. pr.* dicitur: Maxima quidem in hominibus ſunt dona DEI à ſupernâ collata Clementiâ Sacerdotium & Imperium: & illud quidem divinis miniſtrans hoc autem humanis præſidens ac diligentiam exhibens;

Nec convenire ut Servus Servorum abjectis Petri clavibus Pauli gladium arripiat quod quondam Julio II. exprobratum fuiſſe, notum eſt. Quodq; nuper etiam Urbano VIII. accidit, ab Italo quodam in ſatyrico quodam emiſſo ſcripto, cui Titulus Divortium Cæleſte. Sed hoc intra vota erit. Vide Dn. Limn. J. P. *lib. 3. cap. 7. n. 25. ſeqq.*

X X I.

Nam non de eo jam amplius quæſtio eſt, quid fieri debeat, ſed quid jam factum & Conſtitutionibus Imperii probatum fuit, agendum. Quin imò non tantùm eſt Pontifex Romanus, ſed ampliſſimarum ditionum (quo Jure quave injuriâ non diſputo) *c. per venerabilem. 13. extr. qui filii ſint legit.* Princeps & Dominus abſolutiſſimus, potentiſſimus. Licet ergo in Spiritualibus non agnoſcatur pro Eccleſiæ Monarcha id quod contendunt Politici, quodq; ultro largior: Attamen in Temporalibus quomodo ipſius Majeſtatem in ſibi ſubjectos ſolido aliquo fundamento deſtruere queamus, non liquet. Nec Auguſtana noſtra invariata Confeſſio in terris ſuis ſummam poteſtatem denegat, modò ea cum Eccleſiaſticâ non confundatur *art. ult. §. pen. & ult. Auguſt. Confeſſ.* Abſit tamen longiſſimè ut Majeſtatem ejus extra ditiones ſuas extendamus, aut ipſum omnium Chriſtianorum conſtituamus dominum *c. cuncta per mundi. 9. quæſt. 3.* Quod certè abſurdum foret ſtatuere. Cum duæ æquè ſummæ in unâ aliquâ Republ. haud dentur poteſtates. Et hæc de perſonis. Nunc paucis de cauſſis, quas ſuperius ad approbatam diffidationem requiri diximus.

X X I I.

Cauſſæ quæ juſtæ à nullo ferè non proponuntur, qui vel Politicam quampiam conſcripſerunt Inſtitutionem, vel operam ſuam Juri publ. explanando commodarunt: imprimis

primis vero ab illis qui juſta volumina de bello nobis reliquerunte ex quorũ Numero inter Eruditos eminent Henricus Ranzovius, Albericus Gentilis, Bocerus, Chriſtopherus Beſoldus, Ayala, alii, igitur actum hic non agum. Hoc loco id ſolummodo ſufficiat monuiſſe uſu veniſſe Viris Principibus, (nam juxta vetus illud:

Frangit & attollit vires in milite cauſſa;
Quæ niſi juſta ſubeſt excutit arma pudor.)

Ut ſi legitima cauſſa deſtituantur prætextu aliquo veriſimili arma ſua excuſent, & ſpecioſo aliquo in publicum emiſſo ſcripto commendent. Caveant tamen ſibi Rerum Novarum aucupes, ne, ſi cauſſæ, ob quod bellum ſuſcipitur, Juſtitia haud ſtatim illorum incurrat ſenſûs, de Principum Conſiliis temerè quidquam pronuncient, utpote quorum intentio ut plurimum alios latet, quamquè ſibi tãtùm ferè notam eſſe volunt: ut mirum non ſit, in illis divinandis falli quam plurimos: Vel ut Tacitus *6 An. 8. 6* effert. Abditi Principis ſenſus & ſi quid occultius parat, exquirere inlicitum, anceps; nec ideò ad ſequare. Tantum hâc vice & hoc loco de Approbata Diffidatione attuliſſe ſufficiat. Reſtat nunc alterum Diviſionis membrum Diffidatio Reprobata, ad quod Deo juvente accedimus.

XXIII.

Reprobata eſt, quæ fit contra Imperii Conſtitutiones, ut ex ſequentibus plenius & melius notum fiet. De noſtris quondam, horridis & incultis adhuc Germanis, nunquam tacendus Tacitus *in Germ. cap. 14. n. 7.* ſcriptum reliquit: Pigrum & iners (ſcil. Germanis) videtur ſudore acquirere, quod poſſis ſanguine parare. Egregiè hoc imitati poſteri præſertim illo tempore, quo ante inſtitutum Judicium Camerale ob diviſionem Imperii & Imperatorum abſentiam, cum Conſiſtorium ſupremum & Aulicum Cæſa-

ris

ris ſatisfacere non poſſet, ut putat Freher *in Not. ad Petrum de Andlo lib. 2. c. 16. verb. oppreſſus vix Judicem*; Inſolentioribus jus erat in armis, da das Kolbenrecht/ Fauſtrecht/ Reutterrecht/ in ſchwang gieng/ & unus aliquis homo, ut Cōminæus loquitur *lib. 5. Comm. Rer geſt. Ludov. XI. & Caroli Burg.* uno Servitio ſtipatus audebat ingenti populo ſequè alicui Civitati bellum indicere aut cuivis potenti Principi hoſtem ſe declarare, modo eſſet ipſi portus quidam ſcelerum, ſeceſſus in montanam quampiam arcem; quam cum viginti aut triginta Equitibus ubi inſederat, ſuo arbitratu latè omnia populabatur.

X X I V.

Hæc ſecum ruminans altioriq; Curâ perpendens Sacratiſſimus Imperator Carolus IV., & quanta incommoda, ex hâc propriâ Juris dicendi, ſeu potius privatæ vindictæ arreptâ poteſtate, ſequerentur, nec quicquam prodeſſe ubiq; ſaluberrimè inſtituta Judicia, de modo huic rei ſtatuendo cœpit deliberare. Aſt facilè, puto, perſpexit, quantum ex Germanorum tot annis exercitâ, libertate ne dicam an effreni licentiâ? peteretur. Animadvertens igitur multas ſibi remoras injici quo minus ad portum veniret, obliquare cœpit vela, & cum in totum diffidationes illas inhibere non poſſet, ne etiam palam faceret ſe prævalido & adulto huic vitio imparem eſſe, antiquatas ſaltem prædeceſſorum ſuorum de iſtis Leges in uſum revocavit, Diffidationesq; juſtis ex cauſſis, diffidamentis legitimè intimatis, poſt triduum effectus ſuos producere permiſit, *in cap. 17.* Aureæ Bullæ. Promulgarunt autem Sanctiones de Diffidationibus ante Carolum IV. Fridericus I. in Comitiis Norimbergæ *An. 1187. habitis*, quæ extat & formaliter legi poteſt apud Abb. Urſpergenſem *in Frider. I. An. 1187.* Philippus qui *An. 1210*, de verbo ad verbum cum toto A.B. XVII.

Capit.

Capit. conſonam Imperialem legem ſanxit. Quæ extat apud Goldaſtum *Tom. 3. Conſt. Imp. p. 367.* & apud Guid. Pap. *deciſ. 191.* Ut alios nunc ſicco tranſeam pede.

XXV.

Extant graviſſimæ graviſſimorũ virorum querelæ. Et inter alios hæc in verba erumpit Petrus de Andlo *lib. 2. cap. 16.* Eò res (proh dolor!) redacta eſt, *ait*, ut non modo vi oppreſſus vix Judicem, ad quem recurrat, inveniat; Sed & dum poſt longos laborum circuitus vix tandem judicatum obtinere contigerit, deficit tamen plerumq;, qui res judicatas executioni demandare aut velit, aut poſſit. Hinc jam Patria continuis diffidationibus exagitatur. Hinc jam tela volant, furibundæ ſparguntur faces: hinc armorum, arcuum ſonat fragor & injurioſus mucro omnia & omnia proſternit. *&c.* Et quamvis putarent Imperatores præſtantiſſimum, erga venenum quod totam Germaniam penè infecerat, antidotum ſi licentia ſolummodo aliquantulum reſtringeretur diffidandi, attamen nihilominus plus mali mores, quam bonæ Leges valuere tantumve haud impetrare potuerunt Imperiales ſanctiones, ut inimicitias conſopitas viderent, ut potiùs ſibi quemq; blandiri & juſtam ſe habere cauſam diffidandi perſuadere, experiendo diſcerent.

XXVI.

Tandem Divinâ favente Clementiâ D. Maximilianus I. Herculeo quodam auſu Hydram hancce Lernæam edomare aggreſſus eſt. Ratus enim non eſſe ſingulis concedendum quod per Magiſtratus publicè poteſt fieri, ut eſt in *l. 176. ff. de R. J.* atq; ex uſu Reip. futurum, ſi certum in medio Patriæ tribunal velutiq; Parlamentum eſſet, quo preſſi læſiq; haberent refugium; ſicq; communi Electorum Principum & Ordinum ſcitu & Conſenſu generale

Con-

Conſiſtorium conſtituit & ordinavit in Comitiis Wormatientibus *Anno 1495.* breviq; poſt eodem anno Francofurti felix benè inſtitutæ rei initium fecit; dum recepto à Judicibus & Aſſeſſoribus ſolenni ſacramento, perorante Vito Barone à Wolckenſtein graviſſimo ſermone, iis cauſas & lites dijudicandas demandavit Prid. Calend. April. tertiáq; poſt die publica audientia, ipſo Imperatore & Proceribus præſentibus, publicè haberi cœpta eſt. Et cum nihilominus ex uno in alium locum ſubinde hoc Collegium transferreretur, neq; fixā ſedem haberet, conſtitutum tandem eſt, ut Spiræ perpetuum & immotum maneret, Comitiis Auguſt. *Anno 1548.* annotante Frehero *in Not. ad Petrum de Andlo, cap. 16. lib. 2. circa fin.* Quamvis quod pace tanti viri dixerim id factum fuiſſe videatur *Anno 1530.* Argumento mihi eſt. R. A. zu Augſpurg *de Anno 1530.* §. Darzu meynen und wöllen wir. *p. 230. ibi*: ſtätigs zu Speyer bleiben ſoll. &c. Quod ſolenniter confirmatum in Ordin. Cameral. in Comitiis Auguſtanis *Anno 1555. part. 2. art. 34. pag. 531.*

XXVII.

Judiciorū itaq; vigore (ut Impp. Honor. & Theodoſ. *in l. 14. C. de Judæ. loquuntur.*) & Juris publici tutela in medio cōſtitutā, ſeveriſſimè in Comitiis *Anno 1495.* glorioſiſſimæ memoriæ Imp. Maximilianus I. ſanxit, ne ſibi quisquam privatam permittat Ultionem, prohibitā in Rep. Romano-Germanica omni prorſus diffidatione, cujus veſtigia poſtmodum anxio preſſere pede ſuccedentes Cæſares Auguſti, uti patet ex Receſſibus Imperii aliquam multis. Primò quidem, ut jam dictum ex R. A. zu Worms *de Anno 1495. ſub rubrica* der Königliche Landfried. *tit.* Friedbott. *& tit. ſeq.* von Auffhebung aller Vähd. *ibi*: Darauff haben wir alle offene Vähd und Verwahrung/ durch das gantze Reich/ auffgehaben

ben und abgethan. Heben die auch hiemit auff / und thun die Ab von Römiſcher Königlicher Macht und mit Krafft dieſes Brieffs. *p. 27.* R. A. zu Augſpurg. *Anno 1500. ſub rubr.* Erklärung des Landfriedens *tit.* Von auffgerichten Landfrieden. *p. 50.* R. A. zu Cölln *Anno 1512.* §. und ob jemands *p. 95.* R. A. zu Worms *de Anno 1521. tit.* Auffhebung aller Vehden *p. 142.* R. A. zu Augſpurg *Anno 1548. ſub rubric.* Römiſcher Kayß. Mayeſt. und des H. Reichs Landfried *p. 401.* Hæc injuſtarum diffidationum exſtirpatio tam ſollicitè hactenus obſervata fuit ut à Caroli V. inde temporibus nullus ferè ad ſublime Imperii Solium evectus fuerit, quin ſeſe Juramenti religione ad profligandam hanc licentiam & audaciam, adſtringeret. Teſtes voco Invictiſſimi Caroli V. Cap. *art. 21. circa fin.* Capitul. Ferdinandi *I. art. 20.* Maximiliani *II. art. 10.* Rudolphi *II. art. 22.* Matthiæ *art. 26.* Ferdinandi *II. art. 25.* & nuperrimè in Comitiis Ratisbonenſibus *Anno 1653.* præſcriptâ in Capit. Ferdinando IV. Rom. Regi *art. 27.* Sicq; hodie omnes Diffidationes per dictas conſtitutiones publ. prohibitas, conſequenterquè hunc articulum Aureæ Bullæ quoad hoc correctum eſſe tradunt Marquard. Freher. *in Not. ad Petr. de Andlo. d. lib 2. c. 16.* Petr. Denaiſ. *in Jure Cam. tit. 211. §. 1. 5. & ſeq* Wehnerus *in Obſerv. Pract. lit. B. in verbo* Befehden / Beſoldus *in Theſauro Pract. verbo* Fehdt. & noviſſimè Dn. Carpzovius *in prax. Crim part. 1. quæſt. 37. n. 1.* Quorum virorum judicio & meum l. m. q; ſubjicio, præſertim cum vocabulum omne Alle / quod in pleriſq; ſupra citat. Imperii Conſtitutionibus habetur, Univerſale ſit, cujus natura eſt, quod nihil excludat. *facit l. 68. ff. de Leg. 3. l. 23. ff de S. V. P. l. 32. l. 57. pr. ff. ad SC. Trebell.* Nec obſtat *l. 32. C. de Appell. c. 1. in f. de Conſtit. in 6.* quos texx. pro aſſerendo contrario in medium adducit Bocerus *cap. 2. de diffidat.*

XXVIII.

Quæ Imperiales conſtitutiones lauro cedroq; profectò digniſſimæ Prohibent enim Diffidationes i. e. crimen, quod verbo Dei repugnat, honeſtati adverſatur, conſpirationibus, diſſidiis, Bellis, rapinisq; variis, peccatis variis, occaſionem præbet adeoq; multis modis publicam tranquillitatem perturbat. Neq; eſt, quod hîc quempiam moveat immutabilis obſervantia, & obſervanda immutabilitas pluribus in locis A. B. inculcata E. G. *cap. 1. in pr. cap. 8. verſ. quod ſi. cap. 9. in pr. ibi*: decernimus & præſenti edicto perpetuo valituro ſancimus *cap. 3. in fin.* perpetuò extendi volumus *c. 4. in pr. c. 6. in pr.* Quotiescunq; contigerit. *d. cap.* 4. Quoties & quando, *d. cap 4.* Nunc & perpetuis futuris temporibus in omni ſuo tenore & forma indubiam tenere robore firmitatem. Facilè enim apparet rem ex vero æſtimanti, Perpetuum ex mente Imperatoris his in texx. ſignificare, rebus ſic ſtantibus, & utilitate publicâ ſic poſtulante. At conſentientibus Electoribus & Ordinibus Imperii, quin limitari ac revocari poſſint Aureæ Bullæ ſanctiones tantum abeſt ut id â nobis inficietur, ut potius id expreſsè reſervatum arbitremur à Carolo IV. *in tit. 12.* §. *2. A. B. ibi*: hâc noſtrâ ordinatione ad noſtrum ac ipſorum duntaxat beneplacitum duraturâ *&c.* Clariſſimus eſt tex. *in l. 35. ff. de R. J.* Unde cum obſervantia omnem ambiguitatem tollat, habebit in quo acquieſcat quilibet, qui introductionem Octavi Electoratus in Pacificatione Osnabruggenſi *Anno 1648.* ad animum revocaverit. Vide plura apud Dn. Limnæum in J.P. *lib. 1. cap. 11.* Dn. Carpzovium *de L. Regia cap. 3 ſect. 3. n. 8. ſeqq.*

XXIX.

De cauſſis, ob quas diffidationes fieri ſolent, hic non magnopere laborabimus. Nam planè quot ſunt actionum

foren-

forenſium fontes, totidem ſunt Diffidamentorum: Nam diffidatores propriè illi dicuntur, qui non contenti ordinariâ Juris cognitione, quam neq; illi cum quibus quid habent negotii, defugiunt, Judices nec denegant, ſed Jus in manibus ſe habere putantes ſpretâ Legum & Magiſtratuum authoritate, pro libidine ſuâ, vi & metu homines, ut voluntati ſuæ pareant, compellere conantur. Has eſſe cauſſas diffidationũ arguit R. A. zu Wormbs *Anno 1495. tit.* Friedboff ubi his cavetur verbis: Das niemands dem andern bevähden &c. Sondern wer zum andern zuſprechen vermeynt/ der ſoll ſolches thun an den Enden und Gerichten/ da die Sach hievor oder jetzt in der Ordnung der Cammergerichts zu Austrag verthedingt ſind/ oder künfftiglich würden/ oder ordentlich hingehören. *p. 27.* Eadem repetuntur in R. A. zu Wormbs *de Anno 1521. tit.* Römiſcher Kayß. Mayeſt. Landfried. *in fin. pr. p. 142.* & in R. A. zu Augſpurg *de Anno 1548. tit.* Römiſcher Kayß. May. und des Reichs Landfried. *in fin. pr. p. 401.* Interim non negamus pravos plerumq; affectus etiam cauſſæ vice fungi, veluti cum quis alicui literas diffidatorias mittit, quo grandem pecuniæ ſummam ſibi nullo Jure debitam extorqueat. Vel quo quis frœna laxet veteri ingenito quaſi, aut levi ex cauſſa ſuſcepto odio. Hæ diffidationes eo mihi cæteris intolerabiliores videntur, quo minus probabili aliquâ ex cauſsâ inſtituuntur.

XXX.

Committitur hoc delictum, Voce, Litteris, Signis. Voce fit cum diffidamentum ita ferè concipitur, Das Einer wolle mit Schwerdt/ Fewer/ Rauben/ und Mord als ein Abgeſagter Feind/ auffs eüſſerſte ſeinen Feind verfolgen/ verhergen und verderben; Hocq; non pronuncietur ex irâ aut Ebrietate concitato animo, ſed publicè, & ut per teſtes idoneos plena fides fieri queat, & deliberato animo. Nam aliàs pro

 nudis

nudis tantummodo minis reputabuntur dicta verba. Ubi probè notandum omnem diffidationem in ſe continere minas, ſed malè hinc concludi nudas tantummodo minas pro diffidatione habẽdas. Hinc verba quibus Inimicus Inimici ædibus inflam̃ationem illaturum ſe minatur, Jch will dir einen Rothen Hahnen auff das Hauß ſetzen / non aliter diffidationem inducunt, niſi & omnimodæ calamitatis inferendæ comminatio addatur. Idem ſentiendum de illis verbis: Jch will ein Kugel mit dir wechſſeln/ich will dich ſchieſſen daß dir der Rauch zum Maul herauß gehet/ das du das weiß in den Augen verkehreſt &c. Hujusmodi enim verba non importare diffidationem ex definitione ſupra §. *12.* allata evincitur, quæ indicat animo hoſtili, non modò ad mortem fieri diffidationem, ſed generaliter ad quamvis calamitatem, puta ad incendia, ad ſpolia, ad rapinas. Et hæc propria eſt inter minas & diffidationem differentia; Non illa quæ â nonnullis magni nominis JCtis adfertur, quod minacia verba plerumq; dirigantur ad privatum, diffidatio verò ſonet in publicum, & tòti communitati hoſtilia prænunciet. Nam hoc redargui poſſe videtur ex Caroli IV. A. B. *cap. 17. ibi*: Quibuscumq; dominis aut perſonis &c. *item ibid.*: prætextu diffidationis cujuslibet quempiam invadi. R. A. zu Wormbs *de Anno 1495. ſub rubr.* Friedbott. *ibi:* Einig Schloß/ Stätt/ Märckt/ Befeſtigung/ Dörffer/ Höff oder Weiler. *p. 27.* R. A. zu Wormbs *de Anno 1521. p. 142.* Ut benè animadvertit Bocerus *in tr. de Diffidat. cap. 1. n. 5. c. 4. n. 10. & ſqq.*

X X X I.

Solæ & nudæ verbales diffidationem igitur non ſapiant Minæ, niſi Minitatores domicilio ſuo relicto ad loca ſe conferant ſuſpecta; Wann ſie austretten und Sich an End und zu ſolchen Leuthẽ thũ/da Muthwillige beſchädiger Enthalt/

Hülff

Hülff/Fürſchub und Beyſtand finden &c. textus eſt in Caroli P. H. O. *art. 128.* Tunc eadem enim eos quæ diffidatorem pœna manet, quantumvis minitatores minas ſuas facto quodam executi non ſint, verba clariſſima ſunt ejusdē *art. 128.* Unangeſehen ob Sie ſonſt nichts anders in der That gethan. R. A. zu Augſpurg. *de anno 1555.* §. Wir ſetzen Ordnen ſtatuiren *&c. p. 455.* Circa Minas tenendum, utut Eluſoriæ minæ tinendæ haud ſint per *l. 4. ff. ſi cui plusquam per L. Falc.* Si tamen proferantur à quodam magnæ dignitatis ant potentiæ & qui minas exequi ſolitus eſt, nequaquam pro fulgure ex pelvi habendas aut proferentem à ſeveritate Judiciaria, uti dicitur in *l. 29. C. ad L. Jul. de adult.* immunem præſtabunt. Sed Judex penſitatis probè circa minantis perſonam circumſtantiis, ipſum Carceri addicet, confeſſumq; de minis vel per duos teſtes convictum tamdiu illic detinebit donec idoneam cautionem, de non offendendo per fidejuſſores vel pignora, vel quandoq; (volente minitato) per juratoriam, præſtet. De hâc cautione videri poterit Gail. de P.P. *lib. 1. aliquot Capitibus.* Dn. Carpzovius *in Prax. Criminal part. 1. quæſt. 37. n. 79. ſeqq. & in Jurispr. Forens. part. 4. conſt. 15. def. 5. 6 ſeqq.* Bocer. *de diffid. cap. 4. n. 16. cum ſeqq.* Textus eſt hâc de cautione præſtandâ in Caroli V. P. H. O. *art. 176. in verb.* Solchen künfftigen/ unrechtlichen Schaden und Ubel zu fürkommen / ſoll dieſelbig unglaubhafftige boßhafftige Perſonen in Gefängnüß/ alſolang/ biß die Erkandnuß deſſelben Gerichts / gnugſame Caution/ Sicherheit und Beſtand für ſolche unrechtliche / thättliche handlung thut / durch die Schöpffen Rechtlich erkandt werden. &c.

XXXII.

Quod inter Præſentes viva vox, hoc inter abſentes Scriptura. Epiſtola etenim Abſentis ad Abſentem colloquium

quium eſt. Ne igitur circa rem tam claram demonſtrandam fruſtra operam perdamus, verbum non addemus. Nō enim confido ullum aliquem exiſtere poſſe, qui ambigat an literis diffidatio perfici queat. Cum omne id quod poteſt ore exprimi, idem in literas redigi poſſe nemo neſciat. Mentionem literarum diffidatoriarum facit. R. A. zu Regenſpurg *de Anno 1594.* §. Dergleichen. *ibi*: Die ſich zu den verbottenen Vehd, unnd Anſags brieffen zu ſchreiben gebrauchen laſſen. *p. 798.* Exemplum hujusmodi litterarum legimus apud Sleidanum *lib. 3. Comment.* De Nobili quodam Franciſco à Sitzingen, qui quod Richardus Archiepiſcopus Trevirenſis duos quosdam ſuæ ditionis homines, pro quibus ille fidejuſſerat non ſiſteret judicio, ipſi ad exitum Auguſt. *Anno 1522.* Literas diffidatorias miſit. Formulam nobis exhibet Lehmanus, Speyriſcher Chronick *lib. 7. c. 89.* Sociorum Nobilis cujusdam Winrich à Fiſchnich Spirenſibus miſſæ Epiſtolæ, quâ ipſis inimicitiam denunciarunt. Ich N. laß uch Burgermeiſter und Rhat der Statt von Spire wiſſen / alß ihr Weinrich von Fiſchnich groß unrecht thut unnd gethan hant / darumb Er zu Feindſchafft mit uch kommen iſt / darumb will ich un̄ meine knecht / uwre und alle uwer Helffer un̄ Helffers Helffer Findt ſin gegen uch begriffen und fiel da unrath her / wie ſich das machē möcht / das will ich mich bewahrt han mit dieſem offenen Brieff / Geben under mine Inſiegel *&c.* Similem ferè huic exhibet Speidelius in Speculo. *in verbo* Fehd *pag. m. 325.*

XXXIII.

Fatendum atrox hoc & deteſtabile Crimen, per Conſtitutiones Imperiales & recentiorum Imperatorum Leges demum Diffidationis Nomen aſſumſiſſe. Nam eo quod nulla ſpecialia de hoc Crimine inveniantur Præcepta in Jure noſtro Juſtinianeo, ex facili fluit, aut omninò tum tem-

temporis incognitum fuiſſe, aut ſub generali nomine Vis latitaſſe, ut poſterius credam, adducor *per l. 152. pr. ff. de R. J.* Et hoc Jure utimur: ut quicquid omninò per vim fiat, aut in vis publ. aut in vis privatæ crimen incidat. Cum quâ conjungenda eſt *l. 13. ff. quod met. cauſ.* Vis eſt & tunc quotiens quis id, quod deberi ſibi putat, non per Judicem repoſcit. Tractat tamen Imperator noſter Affinia quædam huic delicto, crimina. V. G. *in l. 9. ff. de extraord. Crim.* de Scopeliſmo qui committitur, cum Inimicus aliquis in prædio inimici ſui lapides ponit, indicio futuros, quod, ſi quis eum agrum coluerit malo leto periturus ſit, inſidiis inimici qui ſcopulos ponit. Crimen erat apud Arabes frequentiſſimum. Et de Scopeliſmo intelligit Joh. Pineda *in Comm: ad Job. c. 5. verba illa ℣. 23.* Cum lapidibus agri erit fœdus tuum. Quæ beatus Lutherus de verbo ad verbum vertit: Dein Bund wird ſeyn mit den Stainen auff dem Feld. Juvatur vero argumento, quod ſecundum Doctorum Virorum Conjecturas vel habitaverit in ipsâ Arabiâ Jobus, vel certè in Confinio. Sed ubiubi habitaverit, mihi longè veriſimilius videtur Elipham Themanitem, cum de Curâ atq; Cuſtodiâ piorum hominum agat potius de Providentiâ divinâ, quam Crimine loqui voluiſſe. Quaſi dixiſſet non offendes pedem in lapidem, acſi ex pacto quodam. Cum hâc loquendi figura & alibi Spiritus Sanctus uſus ſit ad denotandam curam ſummam & ſollicitudinem, quâ DEUS per Sanctos Angelos tueri ſuos & mala ab eis averruncare ſolet. Ita enim Regius Pſaltes *Pſalm. 91. ℣. 11. ſeqq.* canit: Curam tui mandavit Angelis ſuis, uti te cuſtodiant in omnibus viis tuis: uti manibus ſuis geſtent Te, ne in lapidem offendas pedem tuum. Sed hæc Theologis accuratius examinanda relinquo. Ne falcem in alienam meſſem immittam.

 Nunc

XXXIV.

Nunc pauca de Scopeliſmi pœna. Hanc rem inquit Ulpianus in *d. l.9. ff. de Extraord. Crim.*, Præſides exequi graviter ſolent, uſq; ad pœnam Capitis; (*i. e. etiam Capitali ſupplicio irrogato*) quia & res ipſa mortem cominatur. Quibus ultimis verbis JCTus tacitæ objectioni voluit occurrere hunc in modum: Nemo exiſtimet durius hoc eſſe quod dicimus. Nam cum res ipſa mortem comminetur, durius videri non debet, ſi quod quiſq; comminatus eſt, id patiatur.

XXXV.

Eſt quoque Diffidationi vicinum LL. Civilibus memoratum Concuſſionis crimen, quod nihil aliud eſt, quam Terror injectus pecuniæ, vel alicujus rei extorquendæ gratiâ? Species ejus recenſentur in *l. 1. l. 2. ff. h. t. de concuſſ. & in l. 6. §. 3. ff. de Offic. Præſ. l. 3. C. de condict. ob turp. cauſ. l. pen. C de his quæ vi met. cauſ. &c.* Concuſſionis Convictus non ſolùm rem ablatam reſtituere tenetur, ſed eo amplius extra Ordinem arbitrio Judicantis punitur *l. 1 ff. h. t l. 3. de Condict. ob turp. cauſ. l. pen. ff. de Calumn.* At ſi Terrore metuve injecto, is, qui in adminiſtratione poſitus erat, rei venditionem expreſſerit, Venditor & rem recuperat, & precium retinet *l. pen. C. de his quæ vi met. cauſ.*

XXXVI.

Adfinitatem inſuper quandam cum Diffidatione habet Admenatio ita dicta Bartol. Angel. & aliis *ad l. 15. §. 1. de Injur.* Teſte Dn. Tabore *in Armament. Juſtin. Comment. de Abuſu armor. per Admenat. th. 10.* Ubi deſcribitur eſſe Delictum privatum, plerumq; Injuriæ ſpeciem continens, quo quis elevatione manus armatæ vel inermis concutitur aut perterretur. Pœna hujus Criminis ferè eſt arbitraria: qualis plerumq; eſt Injuriarum *l. 15. §. 1. ff. de Injur. juncta l. ult. ff.*

ult. ff. de Extraord. Crim. ibi: Si cui ob eorum metum damnum datum eſt, pro modo admiſſi actio dabitur.

XXXVII.

Hæc de Affinibus Delictis. Antequam vero ad Pœnas Diffidationis & cum illis ad finem progrediamur, excutienda ſe nobis offert elegantiſſima pariterq; utiliſſima Quæſtio. An Crimen hoc ſi admittatur, vindicetur ex Conſtitutione Pacis publicæ, eandemq; pœnam mereatur. vel ut brevius: An Diffidatio ſit ſpecies fractæ Pacis Publicæ? Eſſe ſpeciem fractæ Pacis publ. abundè evincunt aperciſſimi Sanctionum Imperialium ſupra §. *27. citati texx.* Semper enim ſub tit. Conſtitutionum de Pace publ., reperiuntur interdictæ Diffidationes & quidem nominatim. R. A. zu Wormbs *de Anno 1495.* R. A. zu Augſpurg *de Anno 1500. tit.* Erklärung des Landfriedens; Item in Ordin. Camer. *part. 2. tit. 14. in fin.* Unde haud ex difficili concluditur, per Diffidationem omninò violari ſaluberrimam de pace publicâ ſanctionem. Id quod etiam diſertis verbis oſtendit Caroli V. P. H. O. *art. 128. ibi*: Als Landzwinger i. e. quaſi Pacis publ. violatores. Et Ordinatio Cameral. *part. 2. tit. 9. ibi*: So jemand hohen oder niederen Weltlichen Standts wer der oder die weren/ wider deren eins/ oder mehr / ſo in gemelden Käyſerlichen Landfrieden geſetzt/ handelen oder zu handelen underſtehen würden oder aber die Ordnung und verpflichtung berührts Landfriedens in einen oder mehr Articulen verachten &c. Ad corroborandam noſtram ſententiam facit, quod Leges in dubio intelligi debent ſecundum naturã tituli ſub quo ſinuatæ ſunt *arg. l. 16. ff. de in diem addict. vide etiam. l. 1. ff. de R. C.* quod pluribus perſequitur Everhardus *in loc. legalib. in loc à rubro. n. 6. & n. 11. pag. m 917. ſeqq.* Robur præterea addit adſertioni noſtræ: Quod & à D. Maximiliano I. & à Succeſſoribus publicati quidam Re-

ceſſus in quibus diffidationes prohibētur, Pacis publ. ſint augmentum. R. A. zu Wormbs *de Anno. 1521. Ibi:* Mit etlichen betrachtlichen nottürfftigen zuſätzen und weiter Erklärungen. R. A. zu Augſpurg *de Anno 1548* R. A. zu Augſpurg. *de Anno 1555. &c.* Augmentum autem ejusdem eſſe cenſuræ cum eo cujus eſt augmentum arguunt Dd. & Gl. *ex l. 19 ff. de inſtruct. & inſtrum. leg.*

XXXVIII.

Cum igitur nos lege mitiores eſſe haud deceat *l. 11. ff. de Pæn. Nov, 82. c. 10.* neq; conveniat, quod lex non dicit dicere. Erubeſcendum enim nobis eſſet hoc ſine lege agere. *Nov. 18 c. 5.* Diffidationem ſpeciem Pacis Publicæ eſſe & Diffidatores ad ejusd. Perturbatores, Fractores, referimus, cum R. A. zu Augſpurg *de Anno 1555* §. Wir ordnen ſtatuiren und wollen. *p 455.* Fulcitur inſuper hæc aſſertio authoritate Virorum Juris publ. privatiq; Conſultiſſimorum. Conſentientes enim habeo Beſoldum *in Theſ. Pract. lit. F. n. 18.* Wehnerum *in Obſerv. Pract. in verbo* Befehden. *p. 42.* Bocerum in ſæpius citat. tract. *de Diffidat. cap. 5. n. 5. 6. 7. ſeqq.* Buxdorff. *diſcurſ. ad* A. B. *cap. 17.* Arumæum *in diſcurſ 6 ad d. A. B. cap. 17. concl. 16.* Dn. Carpzovium *in Praxi Crim. part. 1. quæſt. 37. n. 5. & in Juriſpr. Foren. part. 4. conſt. 14. n. 1.* Reinkingk *de Regim. Secul. & Eccl. lib. 1. cl. 5. cap. 4. n. 71. ſeq.*

XXXIX.

Poſtquam igitur affirmare ſuſtinuimus Diffidationes pro ſpecie fractæ Pacis publ. reputandam, in præſenti perluſtrabimus, an in iis qualitas ſeu requiſita, quæ vulgariter à Dd. recenſentur Tria, deſiderentur. Ea verò juxta communem ſententiam ſunt: *I.* Vis publ. ſive armata R. A. zu Augſpurg *de Anno 1548.* §. als weyland / *ibi poſt medium.* Mit gewehrter handt nnd gewaltiger That. *p. 400. II.* Vis

cum

cum Impetu facta Ordin. Cameral. *part. 2. Tit. 9. §.* Mit Herrskrafft oder ſonſt gewaltiglich überziehen würde. d. R. A. zu Augſpurg *de Anno 1548. d.* §. weyland *circa fin.* Mit gewaltiger that. *III.* Deniq; Dolus malus R. A. zu Wormbs *de Anno 1521. in fin pr. p. 142.* Mit gewaltiger That freventlich einnemmen oder gefährlichen mit Brandt / oder in andere Weg beſchädige/ *item ibid.* wiſſentlich oder gefährlich &c. R. A. zu Augſpurg *de Anno 1548. in pr.* Freventlich entſetzen *p. 400.*

X L.

Dolus quin requiratur nullus ambigo. Voluntas enim & propoſitum maleficia diſtinguit *l. 53. ff. de furt.* At verò cum Diffidatione conjunctum eſſe dolum vel inde clarum evadit quod diffidator explicet actum illicitum, quo ipſo in dolo eſſe cenſetur ſecundum Gl. & Dd. *ad l. 6. C. de dolo malo.* Nec poteſt dolo carere qui Imperio Magiſtratus non paruit *l. 199. ff. de R. I.* Ipſaq; violentia probat dolum *l. 2. §. 8. ff. Vi bono. rapt.* Textus ex Receſſibus Imperii huc faciens eſt Elegantiſſimus in R. A. zu Regenſpurg *de Anno 1594. §.* Ebener maſſen *p. 803.* Dennach auch durch Cammerrichter und beyſitzer bey dieſen Proceß erregt wird/ das in narratis ſupplicationum und erkennung der Proceß nicht alwegen dolus dermaſſen erfordert / das Er eben in Buchſtaben alſo erzehlt werde/ ſondern genugſam ſey/ wann das factum an ihm ſelbſt ſtraffwürdig iſt/ und im Landfrieden außtrücklich verbotten befunden/ und alſo der Dolus auß allerhand erzehlten umbſtänden abzunehmen/ oder ſich ex facti evidentiâ ipſâ unzweiffenlich ſehen laſſe/ hernach aber den Ankläger obliegen ſoll/ den angegebenen Frevel/ gefährlichen Vorſatz und Dolum malum des angeklagten/ wie recht zu beweiſen und darzu thun/ und weiter erwegen/ ob gleich Conſtitutio fractæ pacis verum dolum erfordere/ das es doch gnug/ ſintemal ſolcher dolus in mente delinquentis, beruhet/ und derowegen ſchwerlich directè zu probi-

probiren/ derſelbe auß den umbſtänden der Thathandlung / ex perſpicuis indiciis, & evidentia ipſius facti könne und möge/ als da vis publica, coadunatio hominum, incendium, hoſtilis invaſio territorii alieni vorhanden. So laſſen wir unß ſolch bedencken unſers Cammergerichts wohlgefallen/ und wöllen/ wan die narrata mit allen vorerzehlten umbſtänden / auff welche die Proceß ſeynd außgebracht durch den Kläger wie ſichs gebürt/ gnugſam erwieſen/ und auß demſelben verus dolus circumſtantiis, perſpicuis indiciis ſeu evidentia facti iſt dargethan / das alsdann zu erklärung der Peen des Landfriedens möcht geſchritten werden.

X L I.

An verò cætera duo requiſita ad diffidationem perfectam requirantur. Adhuc ſub judice lis eſt. Multi affirmant. Ego vero potius alia omnia. Quamvis non negem interdum & hæc in diffidatione concurrere; quo facit quod alicubi JCTus reſpondet: Sufficit terror armorum ut videatur dejeciſſe *l. 3. §. 5. de vi & vi arm.* Tamen, quod ſine illis diffidatio haud conſummata & perfecta cenſeatur affirmare, non auſim. Pax etenim publica turbatur non tantum per vim præſentem ſed etiam per Molitiones, Factiones, & hoſtiles denunciationes. Arg. Conſtitut. Imperialium de Pace publ. Neq; hoc voluiſſe Imperatorem mihi veriſimile videtur quod ad omnes haſce recenſitas ſpecies quib. in pacem Publicam peccatur, eadem requiſita requirantur. Sed hoc potius quod, omnia hæc crimina obnoxios faciant delinquentes coercitioni Conſtitutionis de Pace publica. Alias enim, Befehden/ abſagen/ gefehrlich zuſchreiben/ in hiſce Conſtit., idem futura eſſent, quod, mit gewaltiger That angreiffen/ eynnemmen/ und entſetzen/ plündern/ rauben/ brennen/ morden: Id quod fieri non poſſe quilibet Germanici Idiomatis peritus perſpicit. Ut

verò

verò rem Exemplo declaremus; Atrociſſimi legis Juliæ Majeſtatis reus cenſetur, Qui injuſſu Principis adverſus Populum Rom. bellum geſſerit *l. 3. ad l. Jul. Majeſt.* Tenetur & is qui populi Rom. hoſtibus nuntium literasve miſerit, ſignumve dederit, feceritq; dolo malo quo hoſtes Populi Rom. Conſilio juventur adverſus Remp. *l. 1. ff eod.* Quis verò quæſo inde concluderet, ad bellum illicitè gerendum & per conſequens Crimen in Populum & Principem committendum opus eſt armatâ manu, Ergo etiam ad Conſilium hoſtibus dandum. Quia utroq; modo & Conſilio & facto peccamus in Majeſtatem. Prolixius hæc omnia perſequitur Gylmanus *Symphorem. tom. 2. part. 1. vot. 15. n. 24. ſeqq.*

XLII.

Sanè cum pauci virtutis amore, plures formidine pœnarum Legibus obedientiam præſtent, ideo nè hâc in parte ſanctiſſima Conſtitutio Publicæ Pacis ſimilis eſſet Campanæ ſine piſtillo, graviſſimæ in ejus temeratores conſtitutæ ſunt pœnæ; quo vel hoc modo multorum coërceretur perverſa audacia & ad quodvis patrandum ſcelerata ſolertia, tutaq; eſſet inter improbos Innocentia. Pœna omnium ſeveriſſima die Reichs Acht Imperialis Banni fulmen eſt, quo percuſſus, Civitatem Rom. amittit, ex civium Rom. numero deletur, ſicq; membrum abjectum nec privilegiorum Juris communis, vel Imperii capax eſt, hoc eſt, quod ſit extra fidem & Clientelam Cæſaris & Imperii; Ita ut impunè offendi queat. Das niemand an ihm frevelen mag. R. A. zu Wormbs *de Anno 1495. ſub rubr.* Der Königliche Landfriedt. *tit.* Die Peen der Friedbrecher. R. A. zu Wormbs *de Anno 1521.* R. A. zu Augſpurg *Anno 1500.* R. A. zu Trier unnd Cölln *de Anno 1512.* R. A. zu Augſpurg *de Anno 1548* Ordin. Cameral. *part. 2. tit. 9.* §. So jemands hohen oder nie-

dern

dern Standts. Cujus Pœnæ utiq; etiam rei fiunt Diffidatores & ipſo Jure in Bannum incidunt Imperiale, per ea quæ modo *§. 37.* in medium prolata. Præjudicia quoq; Cameræ Imperialis teſtantur, ibidem in Cauſſa Diffidationum proceſſus ſuper fractam Pacem publ. fuiſſe decretos ut in cauſſ Halden Sleben cõtra Ranzauen und Conſorden. vota extant. Symphor. *tom. 2. p, 1. vot. 15.* In cauſſa Stätten contra Roſenberg: *ibid. vot. 14.* In Cauſſa Thum-capitels zu Münſter contra Kettenberg. Symphor. *tom. 5. &c.*

XLIII.

Addunt Dd. & alteram pœnam, nempe pecuniariam duorum millium Marcarum auri puri, ex R. A. zu Wormbs *de Anno 1493. ibi expreſsè:* Zwey Tauſent Marck reines Goldts. *p. 31.* R. A. zu Wormbs *Anno 1521. ibi:* Zwey Tauſent Marck feines Golts *p. 142.* R. A. zu Augſpurg. *de Anno 1548. p. 401.* Qui texx. tam clari ſunt, ut mirum, quid Bocero in mentem venerit ut contra apertiſſima Receſſuum Imperii verba, ſcriberet pœnam hancce eſſe ducentarum marcarum Auri. *d. tr. de Diffid. cap. 6. n. 19. & cap. 7. n. 33. ſeq.*; Erroris inſimularet Gailium, & Imprudentiæ ejus ſequaces, qui pœnam duorum millium Marcarum ſtatuunt. Si enim erubeſcendum ſine Lege loqui, multò magis erubeſcere debemus, ſi quid contra Legem aſſeramus: ut Joachim. à Beuſt argumentatur *ad l. 1. ff. de Jurejur. n. 162. p. 124.* Notandum autem quamlibet marcam auri puri conſtare aureis Rhenanis Colonienſibus *Septuaginta duobus*; at aureum Rhenanum *crucigeris ſeptuaginta quinq;* Kayß. Ferdinandi Neüe Müntz Ordnung §. ferner die Guldene Müntz belangent &c. & §. hierauff ſetzen ordnen und wollen wir &c. Noſtrorum vero Uſualium ſive Imperialium florenorum (quorum quilibet conſtat *ſexaginta crucigeris*) conſtituunt Marcum auri puri *Nonaginta.* Sic pœna illa duarum

rum

rum millium marcarum facit aureos Rhenanos 144000; Florenos vero Imperiales (quod eodem recidit) 180000. De hac pœna ſic cenſeo; vel intelligendos eſſe ſupra citatos texx. de illis potius qui omittendo quam qui committendo peccant. Status nempe Imperii, qui ſe in conſervandâ Pace publ. negligentes præbent; Die über den Fried nicht mit Ernſt und trewen fleiß halten. Vel Pœnam hanc tunc habere locum, ſi quando Banni Pœna mutatur in Pecuniariam uti ſentit Caſp. Klock. *votor. Cameral. relat. 167. n. 60.* Quod plerumq; fieri ſolet, quando Univerſitas ob delictum P.P. condemnatur, idq; propter innocentes pupillos, minores mulieres, prægnantes fœminas, & naſcituros infantes, qui tempore delicti non extiterunt in rerum naturâ, ſed tempore condemnationis vel latæ ſentẽtiæ primùm nati ſunt. Pœna enim ſuos tenere debet auctores *l. 22 C. de pœn.* Gailius *lib. 2. c. 9. n. 17.* De tota quæſtione an Pœna Banni in Pecuniariam verti poſſit conſuli poterit Mynſing. *2. Obſ. 30.* R. A. zu Augſpurg *de Anno 1548.* §. und nach dem, *p. 404.* Pœna autem iſthæc pecuniaria de quâ nunc latè diximus cedit partim Fiſco partim læſæ parti, R. A. zu Wormbs *de An. 1495.* R. A. *de Anno. 1521.* R. A. zu Augſpurg. *An. 1548.* Quam tamen pœnam rariſſime irrogari diffidatoribus ex dictis clarum evidit.

X L I V.

At verò Pœna quæ communiter Diffidatoribus, tanquam Pacis publ fractoribus, ſi deprehendantur, Iudice ex officio procedente, decerni ſolet eſt Pœna Gladii. Ita ſanxit Carolus V. in P. H. O. *art. 128. & art. 129.* & Ferdinandus I. in R. A. zu Augſpurg *de Anno 1555* §. wir ſetzen/ordnen/ſtatuiren, *p. 455. ibi*: Wo ſie in gefängnuß kommen/ſollen mit den Schwerd als Landzwinger von dem Leben zum Tod gerichtet werden. Joachim. à Beuſt. *ad. l. 31. ff. de jurejur. n. 11.*

79. verſ. ſecundo fallit iſta doctrina. p. 737. Arumæus ad A. B. *cap. 17. th. 16.* Wehnerus *in pract. Obſ. verbo.* Befehden. Boccerus *de diffid. cap. 6. n. 2. ſeq.* Hanc Pœnam Conſtitutiones Imperiales non tantùm proponunt Diffidatoribus ipſis, ſed etiam illis, qui flammæ oleum affundunt, & illis qui ad tanti furoris audaciã devenerũt ut auxiliares præberẽt dexteras; In Specie verò in illos qui literas diffidatorias ſcribunt & concipiunt. R. A. zu Regenſpurg *de Anno 1594. §.* Dergleichen und dieweil an etlichen Orten *&c. p. 798.*

X L V.

Præter has Pœnas §. *42. ſeqq.* enumeratas tenetur inſuper Diffidator Diffidato ad omne damnum reſarciendú, quod per Diffidationem perpeſſus eſt offenſus ſive Diffidatus. Ut quia diffidatus in vigiles excubantes ſumptus fecit, & agros ad quos ob timorem egredi non potuit, incultos relinquere coactus fuit. Arguit R. A. zu Augſpurg. *de Anno 1548. tit.* Das am Cammergericht nicht allein auff die Peen/ ſondern auch umb zugefügte Schäden und Entſetzung principaliter möge geklagt werden. *p. 403.* Ordin. Cameral. *part. 2. tit. 9.* §. Wir wollen auch.

X L V I.

Verumenimverò ſi unquam aliâs certè in graviſſimâ graviſſimo Diffidationis Crimini infligandâ pœnâ Iudex anxia Cura Minas, qualitates & Circumſtantias quasvis rimabitur ad rationisq; trutinam appendet, quo certior fieri poſſit, reverane Crimen hoc deteſtabile admiſſum ſiet, ne innocens ad ſupplicium rapiatur. Nam ſæpe apparebit, diligenter & accuratè ponderatis circumſtantiis, quæ rotundè habentur in *l. 16. ff. de Pœn.* Minas eſſe, quas nos primâ facie diffidationes eſſe, Jovem Lapidem juraſſemus: Inter quas tamen Effectus longè diverſiſſimus. Illæ cautione de non offendendo, expiantur; Hæ Capite temerariam audaciam

daciam luunt. Aſt cum de vitâ homini eripienda delibera-tio inſtituitur, nunquam, ut ego quidem arbitror, Iudex poteſt eſſe nimium cautus, nũquam circumſpectus aut tar-dus nimiùm. Non enim de Peponis capite judicium eſt, ſed de vitâ hominis, i. e. Creaturæ omnium Excellentiſſimæ, cujus facies ad ſimilitudinem cœleſtis pulchritudinis eſt fi-gurata, dicente Imp. *in l. 17. C. de Pœn.* & pro quâ ſolâ DEUS de cœlis deſcendit, incarnatus eſt, tot tantosq; perpeſſus eſt dolores, cruciatusq;, & tandem in patibulo Crucis duram oppetiit mortem. Ergo Cunctator eſſe debet, qui judicat de Salute hominis. Hîc bis peccare non licet. Alia ſenten-tia poteſt corrigi, de vitâ transactum non patitur immutari.

XLVII.

Et hîc ſubſiſtere pedemq; figere cogor. Etſi enim de *Proceſſu diffidationis*, *An omnis Perſona habilis ad accuſandum? qui diffidationis Rei de hoc Crimine accuſari & Convicti con-demnari queant? An Procurator in hoc Crimine admittatur? Quis judex Competens? Quæ Remedia Juris adverſus diffida-torem comparata?* Et ſi inquam non hæ ſolùm ſed & aliæ ex-aminandæ reſtarent quæſtiones, temporis tamen anguſtiâ, & quia ſub manibus crevit diſſertatio, hâc vice excludor. Imò cum hæc pleraq; eleganter pertractata ſint à Bocero, (cui multum me hoc in argumento debere l.m.q; profite-or,) *in tr. de Diffidationibus cap. ult.* Et paſſim ab Andrea Gailio in abſolutiſſimo ſuo de Pace Publ. commentario. Nõ tentabo poſt Homerum Iliadem ſcribere. Liceatq; huc tra-here illud Imperatoris noſtri Juſtiniani *in §. 6. J. de Satisdat.* Hæc omnia apertius & perfectius à quotidiano judiciorum Uſu in ipſis rerum documentis apparent. Tu Benevole Lector

Vive, Vale. Si quid noviſti rectius iſtis,
Candidus imperti: Si non his utere mecum.

GLORIA DEO!

B. L. Cum ob crebras & neceſſarias profectiones, ipſe Correctioni hujus meæ Inauguralis adeſſe haud potuiſſem, factum eſt, ut illud, quod imprimis adjiciendum erat, de tertio Diffidandi modo, quando ſignis diffidamentum intimatur, ommitteretur. Igitur hoc ipſum in calce hic adjiciendum quam planè negligendum conſultius viſum fuit. Cum autem Signis diffidationem fieri diximus in th. 30. pr. innuere voluimus tunc etiam Crimen hoc committi, ſi quando Diffidator ſigno quodam declarat ſuũ in diffidatum animũ. V.G. Si Scopas, titiones, vel Carbones, Papyrum cum pulvere tormentario, ſimilia, ſuſpendat, quæ vulgo ſub generali Nomine Brandzeichen veniunt. Quibus nempe tantum detrimentum ſe illaturum minitatur, ut ædificia combuſta, & in Cinerem redacta ſcopis converri queant. Arguit tex. in P. H. O. Caroli V. *art. 128. ibi*: D[illegible] gleichen ſoll Es auch gehalten werden gegen den jenigen die ſich ſonſt durch etliche Werck mit der That zu handlen underſtehen. Jungatur ſæpè *citat. cap. 17.* A. B. Exempla videri poſſunt apud Dn. Carpzovium in praxi Crim *part. 1. quæſt. 37. n. 28. & 34.* & in Jurispr. Forenſ. *part. 4. conſt. 14.* Exhibet etiam nobis plurima Incendiariorum ſigna Hortlederus von den Urſachen des Teutſchen Kriegs *lib. 4. c. 13.* quibus tum temporis ædibus ignem ſubjiciendum denunciabant.

Coronidis loco liceat hic adjicere Q. An Diffidatio per alium, ſive Nuncium expediri queat? Quod Nos Aff arg. Conſtit. Frider. de Incendiariis §. ſtatuimus etiam & c. 17. A. B.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

❧ (o) ❧